



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Liber dissencionum archiepiscopi Coloniensis et Capituli Paderbornensis

Dietrich <von Engelsheim>

Münster, [1893-1897]

84. De causarum in Romana curia pendencium ad consilium Basiliense
advocacione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54427](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54427)

ultimate deperditio subsequitur et quilibet vivit iuxta sui libiti voluntatem taliter, quod divinum officium pessime, perfunctorie¹⁾ agitatur et sine deliberacione contra equitatem iuris observatur. Videri igitur meo²⁾ in ista ecclesia modum conveniencionis³⁾ non reperio in divini officii observacione, quam ut perficitur, [quod]⁴⁾ per sacrum Basiliense concilium est decretum et per principes electores est approbatum et receptum. Judicet quisque suam conscienciam, qualiter hereditatem divinam et thesaurum pauperum, distribuciones cottidianas recipiat, — dantur⁵⁾ propter officium, non propter ludum et otium — ut in extremo iudicio rationem de perceptis, que pro nunc ipso iure reddere et restituere tenetur, facere valeat sine iudicantis furore et iudicii examinis congruam rationem. ect.

Videntibus patribus in concilio Basiliensi constitutis, quod dominus Eugenius papa eis contrariabatur et quod suam curiam tenuit, prout consueverat, tunc ipsum ad sexaginta dies ad comparendum Basilee citarunt et cardinales, patriarchas, et prelatos consiliis interesse debentes monuit,⁶⁾ ut intra XXX dies a curia recederent et Basileam applicarent. Et cum hoc advocavit⁷⁾ omnes causas ecclesiasticas, prophanas et civiles et terminales inter quascunque personas, cuiuscunque status forent, in Romana curia pendentis. Quas concilium advocans post terminum prefixum voluit et decrevit irritum et imane quodcunque contra illam advocationem in curia Romana factum foret, hoc decretum Basilee valvis maioribus affigens et publicans cum maximis penis in decreto

84.

¹⁾ lässig. ²⁾ Nach meinem dafürhalten. ³⁾ Uebereinstimmung. ⁴⁾ ergänzt.
⁵⁾ im Text „datum“. ⁶⁾ der Auctor wechselt plötzlich das Subject, statt patres concilii ergänzt er concilium. ⁷⁾ zu sich ziehen.

contentis. Sic dominus Hermannus de Rekelinchusen, canonicus Paderbornensis vigore dicte advocacionis Basilee obtulit in sessione publica illas duas supplicationes in citatorio immediate sequente contentas et tandem obtinuit dominum episcopum Ebroicensem pro iudice cause. Qui infrascriptam citationem contra dominum Coloniensem decrevit. Ubi certi termini erant obtenti, tandem per legatum erant ad tempus, ut infra sequitur remissi. Quare de illo acciderat, infra describetur. Et cum magnus rumor tunc de illa causa in concilio quam extra insurrexit, sic reverendi patres domini Gunterus, archiepiscopus Magdeburgensis, Conradus de Susato, Ratisponensis, Johannes Scallerman, episcopus Gurcensis et Johannes Scele, episcopus Lubicensis, qui patriam dilexerunt et, dum scolares erant, in Paderborn scholas frequentarent nec noscerent¹⁾ talem²⁾ ecclesiam Paderbornensem, prout nomine archiepiscopi Coloniensis erat concilio scriptum et relatum, (sic)³⁾ primo in domo episcopi Lubicensis, demum in domo episcopi Gurcensis dominum Henricum decanum Paderbornensem invitarunt et de initio cause petierunt per eundem informari. Qui coram dictis dominis constitutus ab initio regiminis domini Wilhelmi ducis Montensis, electi Paderbornensis usque ad intimationem dicte cause incorporacionis de omnibus, que acciderant, qualiter facta et acta fuerant, eos, ut plenius et clarius potuit de singulis huius libri gestis informaverat, sic quod ipsi pessime de domini Coloniensis factis contentabantur, sed referebant, quod vellent cum procuratoribus domini Coloniensis loqui et instare, in quantum valerent, ut causa illa inter dominum et capitulum in amicicia sopiretur.

¹⁾ Die Satzconstruction fordert frequentarunt nec noverunt. ²⁾ unleserlich, dem Sinne nach ist absumptam zu setzen. ³⁾ überflüssige Wiederholung des vorhergehenden sic.

Sic dominum officialem Coloniensem, prepositos beati Severini Coloniensem et Florini Confluenciensem ad se fecerant evocari, causam istam assumendo et, in quantum valuerunt, inducendo, ut dominus Coloniensis a dicta incorporatione resiliret et se cum suo capitulo et ecclesia complanaret et non ibi, sed in partibus, ubi de cause initio constaret, de illa tractaretur. Quod ipsius domini Coloniensis procuratores renuerunt et dixerunt, talia non fore in eorum potestate, quod potestas eorum limitata, sed eorum bonam intencionem suo domino libentissime vellent intimare; quod tunc rescriberetur, de illo ipsi bene contenti essent, sed prorogacionem causarum sustinere non auderent. Sic tunc erat processum ad aliquos iudiciales actus, ut in registro desuper confecto poterit reperiri. Tunc dominus officialis domini Coloniensis dominus Albertus de Varentorpe valde seriose causam domini defensabat dicens, sibi valde seriose hoc esse per dominum Coloniensem commissum.

Mit Weglassung der Formalien im Auszuge wiedergegeben; verglichen mit einer gleichalterigen Abschrift im Kgl. Staatsarchive Münster, Fürstenthum Paderborn Nr. 1520²³, Stück 2.

Martialis, Dei et apostolice sedis gracia episcopus 85.
 Ebroycensis, iudex et commissarius cause et partibus 1434
 infrascriptis a sacrosancta generali synodo Basiliensi 15. Junii.
 specialiter deputatus, universis . . . abbatibus, prioribus,
 prepositis, decanis, archidiaconis, . . . notariis et tabelli-
 onibus publicis, per civitatem et dyocesim Coloniensem . . .
 constitutis . . . salutem. . . . Noveritis, quod nuper
 synodus ipsa duas . . . supplicationum cedulas per
 certum eius cursorem successive presentari fecit, quarum
 prime tenor sequitur et est talis. Exponitur sacrosancte